

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones  
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo IIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

& facultates huius saeculi; Arde enim amore & multum suspirat & aestuat  
 & anhelat. Uideamus quid petat, unam peto ad dno hanc requiram; quid est  
 hoc quod requiritur? ut inhabitem inquit in domo dñi per omnes dies uitae  
 meae; & puta quia habitas in domo dñi? unde ibi erit gaudium tuum? ut con-  
 templer inquit delectationem dñi; fratres mei unde clamatis? unde amatis?  
 unde exultatis? nisi quia est ibi scintilla huius caritatis; quid desideratis rogo  
 uos? uideri potest oculis; tangi potest? pulchritudo aliqua est quae oculus  
 delectat. Nonne martyres amati sunt uehementer. & quando eos comme-  
 moramus. in ardescimus amore? quid in illis amamus frs? membra laniata a feris.  
 quid foedius si oculos carnis interroges. quid pulchrius si oculos cordis interro-  
 ges. quid tibi uideatur ad aeternum pulcherrimus fur. quomodo horrent oculi  
 tui. num quid oculi carnis orrent si ipsos interroges; nihil illo corpore con-  
 positius nihil ordinatius. & paritas membrorum? & coloris delectatio inlicit  
 oculos; & tamen cum audis quia fur est. fugis hominem animo; uides ex alia  
 parte senem curuum. baculo innitentem. uix se mouentem. rugis undiq; ex-  
 aratum; quid uides quod oculus delectat? & audis quia iustus est. amas. amplex  
 teris; talia nobis premia promissa sunt frs mei. tale aliquid amate. tali regno  
 suspirate. talem patriam desiderate. si uultis pertinere ad id cum quo uenit  
 dñs noster. id est ad gratiam & ueritatem; si autem corporalia premia  
 concupieritis ad dno. adhuc sub lege estis. & ideo ipsam legem non implebitis.  
 quando enim uideris abundare ista temporalia meis quid dñm offendunt. mutant  
 gressus tuos. & dicis tibi, ecce ego colo dñm? cotidie ad ecclesiam curro. Genus  
 mihi trita sunt in orationibus. & assidue aegroto. homicidia faciunt homi-  
 nes. rapinas faciunt. exultant. abundant. bene est illis? Talia ergo quaere-  
 bas ad dno? certe ad gratiam pertinebas; si gratiam ideo tibi dedit dñs quia  
 gratis dedit. gratis ama. Noli ad premium diligere dñm. ipse sit premiũ tuũ.  
 Dicat animata. unam peto ad dno hanc requiram. ut inhabitem in domo dñi  
 per omnes dies uitae meae. ut contempler delectationem dñi; noli timere.  
 ne fastidio deficias; talis erit illa delectatio pulchritudinis. ut semper tibi  
 praesens sit. & numquam satieris. Immo semper satieris & numquam satieris.  
 Si enim dixerò quia non satiaberis. fames erit. si dixerò quia satiaberis.  
 fastidium timeo. Ibi nec fastidium erit. nec fames. quid dicam nescio.  
 sed dñs habet quod exhibeat. non in uentibus quomodo dicant. & cre-  
 dentibus quod accipiant. amen, **EXPLICIT TRACTATUS III;**

a k viii  
 vsq; xv.

**INCIPIT III. AB EO QUOD SCRIPTUM EST. ET HOC EST TESTIMONIUM  
 IOHANNIS QUANDO MISERUNT IUDAEI AB IEROSOLIMIS SACERDOTES  
 ET LEUITAS USQ; AD ID QUOD DIXIT. ET TEGO NESCEBAM EUM SED QUOME**

MISIT BAPTIZARE IN AQUA. IPSE MIHI DIXIT; SUPER QUEM UIDERIS  
SPM DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM ET MANENTEM SUPER  
EUM. IPSE EST QUI BAPTIZAT IN SPU SCO;

**S**epissime audiuit scitas uestra & optime nostis. qm̄ iohannes baptista  
quanto praeclarior erat in natis mulierum. & quanto humilior ad cognos-  
cendum dnm̄. tanto meruit esse amicus sponsi. zelans non sibi. prorsum honore  
quaerens. sed iudicis sui. quem tamquam p̄eco praeibat. Itaq. proph̄tis praece-  
dentibus praenuntiate de xpo futura concessum est. huic autem digito ostendere.  
Sicut enim ignorabatur xps ab his qui proph̄tis non crediderant antequam ueni-  
ret. sic ab eis ignorabatur & praesens. Uenerat enim humiliter primo & occultus.  
tanto occultior. quanto humilior; populi autem spernentes per superbiam sua  
humilitatem di. crucifixerunt saluatorem suum. & fecerunt damnatorem suum;  
Sed qui primo uenit occultus. quia uenit humilis. prorsum quid deinceps non est  
uenturus manifestus. quia excelsus. Audistis modo psalmum. Di manifestus  
ueniet. di noster & non silebit; sicut ut iudicatur. non silebit cum coeperit  
iudicare; Non dicetur manifestus ueniet. nisi primo uenisset occultus;  
Nec dicetur non silebit. nisi quia primo siluit; Quomodo siluit. interroga  
esaiam. sicut ouis ad occisionem ductus est. & sicut agnus coram eo qui se tonde-  
re & fuit sine uoce. sic non aperuit os suum. Ueniet autem manifestus. &  
non silebit; quomodo manifestus. ignis ante eum praeibit. & in circuitu eius  
tempestas ualida. Tempestas illa tollere habet totam paleam de area. quae  
modo trituratur. & ignis incendere quod tempestas abstulerit; modo autem  
tacet iudicio. sed non tacet praecepto. Si enim tacet xps. quid sibi uolunt haec  
euangelia. quid sibi uolunt uoces apostolicae. quid cantica psalmorum. quid  
eloquia proph̄tarum. In his omnibus xps non tacet. sed tacet modo ut non  
uindicta. non tacet ut moneat; Ueniet autem praeclarus in uindicta. & apparebit  
omnibus. & qui in eum non credunt. Modo uero quia & praesens occultus erat.  
oportebat ut contemneretur; nisi enim contemneretur. non crucifigeretur;  
si non crucifigeretur. non funderet sanguinem quo p̄dico nos redemit;  
ut autem pro nobis daret p̄dium. crucifixus est. ut crucifigeretur. contemp-  
tus est. ut contemneretur. humilis apparuit. Tamen quia quasi in nocte  
apparuit in corpore mortali. lucernam sibi accendit unde uideretur;  
Ipsa lucerna iohannes erat. de quo iam multa audistis. & lectio praesens euangelii  
uerba iohannis continet. primo quod praecipuum est confidentis quia non  
ipse erat xps; tanta autem excellentia erat in iohanne. ut possit credi xps.  
& in eo probata est humilitas eius. quia dixit se non esse. cum possit credi esse;  
ergo hoc est testimonium iohannis. quando miserunt iudaei ab hierosolima

qui ioham  
digito xpm  
monstranti  
no re. lebat

sacerdotes & leuitas ad eum; ut interrogarent eum tu quis es. Non autem  
mitterent nisi mouerentur excellentia auctoritatis eius. quia ausus est baptizare;  
Et confessus est. & non negauit; quid confessus est. & confessus est. quia non  
sum xps; & interrogauerunt eum; quid ergo helias es tu. mouerant enim quia  
praecessurus erat helias xpm; Non enim alicui in cognitum erat nomen xpi  
apud iudaeos; <sup>ideo</sup> tum nō putauerunt esse xpm; <sup>scienter</sup> non omnino xpm non esse uentu-  
rum; cum sperant uenturum; sic offenderunt in praesentem. offenderunt tamquam  
in humilem lapidem; Lapis enim ille adhuc paruus erat; iam quidem praecisus  
de monte sine manibus; sicut dicit danihel propheta. Uidisse se lapidem praecisum  
de monte sine manibus; sed quid sequitur. & creuit inquit lapis ille. & factus est  
mons magnus. & impleuit uniuersam faciem terrae; Uideat ergo quod dico caritas  
uestra; Xps ante iudaeos iam praecisus erat de monte; montem regnum uult  
intellegi iudaeorum; Sed regnum iudaeorum non impleuerat uniuersam faciem  
terrae; Inde praecisus est ille lapis. quia inde natus est in praesentia dñs; & quare  
sine manibus. quia sine opere uirili uirgo peperit xpm. Jam ergo erat lapis ille  
praecisus sine manibus ante oculos iudaeorum; sed humiliter non in merito  
quia nondum creuerat lapis ille. & impleuerat orbem terrarum. quod ostendit  
in regno suo quod est ecclesia. qua impleuit totam faciem terrae; quia ergo non  
creuerat offenderunt in illum tamquam in lapidem. & factum est in eis quod scrip-  
tum est. Qui ceciderit super lapidem conquassabitur. & super quos ceciderit lapis  
ille conterat eos; primo supra humilem ceciderunt. excelsus super illos uenturus est;  
sed ut eos excelsus uenturus conterat; primo eos humilis quassauit; Offenderunt in  
eum & quassati sunt. non contriti. sed quassati; Ueni & excelsus & conterat eos;  
Sed ignoscendum est iudaeis; quia offenderunt in lapidem qui non creuerat;  
quales sunt illi qui in ipsum montem offenderunt. iam de quibus dicam cognoscitis.  
qui negant ecclesiam toto orbe diffusam. Non in humilem lapidem. sed in ipsum  
montem offendunt; quod factus est ille lapis cum cresceret; Caeci iudaei non uident  
humilem lapidem; quanta caecitas est. non uident montem; ergo uiderunt humilem.  
& non cognouerunt; Demonstrabat illis per lucernam. Nam primo ille quomaior  
nemo surrexerat in natis mulierum. dixit. Non sum ego xps. Dicitumq. est illi;  
Num quid tu es helias. Respondit; non sum; Xps enim antese praemitte helias.  
& dixit; non sum. & fecit nobis quaestionem; Timendum est enim neminus in-  
tellegentes contraria putent iohannem dixisse. quam xps dixit. Quodamenim  
loco cum dñs ih̄s xps in euangelio diceret quaedam de se. Responderunt illi discipu-  
li; quomodo ergo dicunt scribae. id est periti legis. quia heliam oportet primū  
uenire. & ait dñs; helias iam uenit. & fecerunt ei quae uoluerunt. & si uultis scire.  
ipse est iohannes baptista; Dñs ih̄s xps dicit. helias iam uenit & ipse est iohannes.

baptista. Johannes autem interrogatus sic se confessus est heliam non esse,  
 quomodo nec xpm esse; & utiq; si uerum confessus est xpm se non esse. sic  
 uerum confessus est nec heliam se esse; quomodo ergo comparabimus dicta  
 praeconis cum dictis iudicis. Absit ut praeco mentiat; hoc enim loquitur;  
 quod audit a iudice; quare ergo ille non sum helias. & dñs. ipse est helias;  
 quia in eodñs ih̄s xps praefigurate uoluit futurum aduentum suum. & hoc dicit  
 quia in spū heliae erat iohannes. & quod erat iohannes ad primum aduentum.  
 hoc erit helias ad secundum aduentum; Quomodo duo aduentus iudicis; sic duo  
 praecones; Iudex quidem ipse praecones autem duo non duo iudices; Oportet  
 bat enim iudicem primo uenire iudicandum. misit ante se primum praecone.  
 uocauit illum heliam; quia hoc erit in secundo aduentu helias; quod in primo  
 iohannes; Namq; intendat caritas uestra quam uerum dicam; quando con  
 ceptus est iohannes uel potius quando natus. sp̄s sc̄s hoc de illo homine impl̄o  
 proph̄tauit; & erit inquit praecursor altissimi in spū & uirtute heliae; non  
 ergo helias. sed in spū & uirtute heliae; quid est in spū & uirtute heliae. in  
 eodem spū sc̄o. uice heliae; quare uice heliae; quia quod helias secundo hoc  
 iohannes primo aduentus fuit; Recte ergo modo iohannes proprie respon  
 dit; Nam dñs figurate helias ipse est iohannes; Iste autem ut dixi proprie  
 non sum ego helias; si figuram praecursionis aduertat. iohannes ipse est helias.  
 quod enim ille ad primum aduentum; hoc ille ad secundū erit; Si proprietatem  
 personae interroges. iohannes iohannes. helias helias. Dñs ergo ad praefigu  
 rationem recte ipse est helias; iohannes autem recte ad proprietatem non sū  
 helias; Nec iohannes falsum. nec dñs falsum. Nec praeco falsum. nec iudex  
 falsum. sed si intellegas; Quis autem intellegat. qui imitatus fuerit humili  
 tatem praeconis. & cognouerit celsitudinem iudicis; Nihil enim humilius  
 ipso praecone fr̄i mei; nullum tantum meritum iohannes habuit quam de  
 ista humilitate. quod cum possit fallere homines & putari xps & haberi pro  
 xpo. tantum enim gratia. tantūq; excellentia fuit. confessus est tamen  
 aperte & dixit. non sum ego xps; Num quid tu helias es. iam si diceret helias sū.  
 ergo iam in secundo aduentu adueniens xps iudicatur. non adhuc in primo  
 iudicatur; <sup>si autem sū.</sup> tamquam dicens; uenturus est & helias; Non sum inquit helias;  
 sed obseruate humilem ante quem uenit iohannes. nesentatis excelsum  
 ante quem uenturus est helias. Nam & dñs ita compleuit. Ipse est iohannes  
 baptista qui uenturus est; ipsa praefiguratione uenit iste; qua proprietate  
 uenturus est helias; Tunc helias per proprietatem helias erit. hunc per simili  
 tudinem iohannes erat; modo iohannes per proprietatem. iohannes per  
 similitudinem helias est; ambo praecones sibi dederunt similitudines suas.

& tenuerunt proprietates suas; unus autem dñs iudex, siue illo praecone praecedente, siue illo; & interrogauerunt eum; quid ergo helias es tu? & dicit, non; & dixerunt ei, Propheta es tu? respondit, non. Dixerunt ergo ei; Quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos; quid dicis de te ipso. At, ego uox clamantis in deserto; esaias illud dixit in iohanne propheta ista impla est, ego uox clamantis in deserto; quid clamantis, Dirigite uiam dñi, rectas facite sentias di nostri, Non uobis uidetur praeco esse, dicite, Exite facite uiam, nisi quod praeco exite dicit. iohannes uenite dicit. a iudice repellit praeco, Ad iudicem uocat iohannes; immo uocat iohannes ad humilem, ne iudex sentiat excelsus; Ego uox clamantis in deserto. dirigite uiam dño. Sicut dixit esaias propheta, Non dixit, ego sum iohannes. ego sum helias. ego sum propheta; sed quid dixit, hoc uocor, uox clamantis in deserto. dirigite uiam dño. ego sum ipsa propheta; Et qui missi fuerant. erant ex pharisaeis. id est ex principibus iudaeorum; Et interrogauerunt & dixerunt ei; quid ergo baptizas, si tu non es xps. neq. helias. neq. propheta? quasi audacis uidebatur esse baptizate, quasi in qua persona, quaerimus utrum tu sis xps. & iudicis te non esse. quaerimus ne forte praecursor illius sis. quia nouimus ante aduentum xpi uenturum esse heliam. negas te esse. quaerimus ne forte aliquis multum praeueniens praeco es id est propheta. & accepisti hanc potestatem; nec propheta se dixit. & non erat propheta iohannes. maior erat quam propheta; Dñs de illo tale testimonium dedit, Quid existis uidete in deserto, harundinem uento agitari. utiq. non uento agitari, sub audis agitari. quia non hoc erat iohannes quasi a uento moueretur, qui enim uento mouetur. circumflatur omni spiritu seductorio; sed quid existis uidete hominem mollibus uestitum. Uestiebatur enim iohannes asperis. id est tunica facta de pilis cameli. <sup>un subituler.</sup> Ecce qui mollibus uestiuntur. in domibus regum sunt. Non ergo uidete existis hominem mollibus uestitum. sed quid existis uidete & propheta, ita dico uobis. maior quam propheta hic. quia prophetae longe praenuntiauerunt. iohannes praesentem demonstrabit; Quid ergo tu baptizas, si tu non es xps. neq. helias. neq. propheta. Respondit eis iohannes & dixit; ego baptizo in aqua. medius autem uestrum stetit quem uos non scitis; humilis enim non uidebatur. & propterea lucerna accensa est, uidete quomodo dat locum. qui aliud possit putari. Ipse est qui post me uenit. ante me factus est sicut iam diximus. id est antepositus est mihi. Cuius ego non sum dignus. ut soluam corrigiam calciamenti eius; quantum se abiicit. & ideo multum eleuatus est. qm̄ qui se humiliat exaltabitur; unde debet uidete scitas uestra. quia si iohannes sic se humiliavit ut diceret non sum dignus corrigiam soluere. quomodo habent humiliari quid dicunt. nos baptizamus.

nos quod damus nostrum est. & quod nostrum est sc̄m est. Ille dicit. non ego.  
 sed ille, illi dicunt nos. Non est dignus iohannes solvere corrigam calciamenta  
 eius; quod si dignum se diceret. quam humilis esset & si dignum se diceret. & sic dice  
 ret. Ille uenit post me qui ante me factus est. cuius tantummodo corrigam calci  
 amenta dignus sum soluere. multum se humiliasset; quando autem nec ad hoc  
 dignum se dicit. uere plenus sp̄u erat. qui sic seruus dñm agnouit & ex seruo  
 amicus fieri meruit. Haec in bethania facta sunt trans iordanem. ubi erat iohan  
 nes baptizans. Altera die uidit iohannes ihm̄ uenientem ad se. & ait; ecce agnus dī.  
 ecce qui tollit peccatum mundi; Nemo sibi arrogat & dicat. quia ipse auferat  
 peccata mundi; Jam attendite contra quos superbos intendebat digitus iohannis;  
 nondumerant nati heretici. & iam ostendebantur; Contra illos clamabat tunc a  
 fluuio. contra quos modo clamat ex euangelio. Uenit ih̄s. & quid dicit ille. ecce  
 agnus dī. si agnus innocens. & iohannes agnus; annon & ipse innocens. Sed quis  
 innocens quantum <sup>erat</sup> innocens. omnes ex illa traduce ueniant. & ex illa propagine  
 de qua cantat gemens dauid. Ego in iniquitate conceptus sum & in peccatis  
 mater mea in utero me aluit. Solus ergo ille agnus. qui non sic uenit; non enim  
 in iniquitate conceptus est. quia non de mortalitate conceptus est. nec eum in  
 peccatis mater eius in utero aluit. Quem uirgo concepit. uirgo peperit. —  
 quia fide concepit & fide suscepit; Ergo ecce agnus dī. Non habet iste traduce  
 de adam. carnem tantum adsumpsit de adam. peccatum non adsumpsit;  
 Qui non adsumpsit de nostra massa peccatum. ipse est qui tollit nostrum  
 peccatum; ecce agnus dī. ecce qui tollit peccatum mundi; nostis quia quidā  
 homines dicunt aliquando. nos tollimus peccata hominibus qui sc̄i sumus;  
 si enim non fuerit sc̄i qui baptizat. quomodo tollit peccatum alterius. cum sit  
 homo ipse plenus peccato. Contra istas disputationes uerba nostra non dicam.  
 hunc legamus; ecce agnus dī. ecce qui tollit peccatum mundi; non sit prae  
 sumptio hominibus in homines. Non trans migrat passer in montes. Ad dño con  
 fidit; & si leuat oculos suos in montes unde auxilium ueniat ei intellegat quia  
 auxilium eius ad dño qui fecit caelum & terrā; Tanta excellētia iohannes.  
 dicitur ei. tu es x̄p̄s. dicit. non. tu es helias. dicit. non; tu es propheta.  
 dicit. non. & illi. Quare ergo baptizas; ecce agnus dī. ecce qui tollit peccatum  
 mundi; Hic est de quo dixi. post me uenit uir qui ante me factus est. quia  
 prior me erat; post me uenit. quia posterius natus est. ante me factus est.  
 quia praelatus est mihi; prior me erat. quia in principio erat uerbum.  
 & uerbum erat apud dñm & dñs erat uerbum. Et ego nesciebam eum dixit;  
 sed ut manifesta ratur israeli. propterea ueni ego in aqua baptizans; &  
 testimonium perhibuit iohannes dicens. quia uidi sp̄m de caelo descendente

quasi columbam & mansit super eum. & ego nesciebam eum; sed qui me misit  
 baptizare in aqua. ille mihi dixit; super quem uideris spiritum descendentem & ma-  
 nentem super eum. hic est qui baptizat in spiritu sancto; & ego uidi & testimonium per-  
 hibui. quia ipse est filius dei. Intendat modicum caritas uestra. iohannes quando  
 didicit christum. missus est enim ut baptizaret in aqua; quaestum est quare. ut mani-  
 festaretur israeli dixit; quid profuit baptismus iohannis fratris mei. Si profuit aliquid.  
 & modo maneret & baptizarentur homines baptismo iohannis; & sic uenirent ad  
 baptismum christi; sed quid ait. ut manifestaretur israeli. id est ipsi israeli populo  
 israel ut manifestaretur christi. uenit baptizare in aqua. accepit mysterium bap-  
 tismi iohannis in aqua penitentiae parare uiam domino. Non existens dominus; at ubi cogni-  
 tus est dominus. superfluo ei uia parabatur. quia cognoscentibus se ipse factus est uia;  
 Itaque non durauit diu baptismus iohannis. sed quomodo demonstratus est dominus hu-  
 milis. ut ideo acciperet baptismum iohannis; in quo baptizaretur ipse dominus; & opus  
 erat domino baptizari & ego interrogans cito respondeo. Opus erat domino nasci. opus erat  
 domino crucifigi. opus erat domino mori. opus erat domino sepeliri. Si ergo tantam pro  
 nobis suscepit humilitatem. baptismum non erat accepturus. & quid profuit. quia  
 suscepto baptismum serui? ut tu non dedignareris suscipere baptismum domini;  
 Intendat caritas uestra; futuri erant in ecclesia aliqui excelsioris gratiae cathecumi-  
 ni. fit enim aliquando ut uideas cathecuminum abstinentem ab omni concubitu.  
 uale facientem saeculo. renuntiantem omnibus quae possidebat. distribuentem  
 pauperibus. & cathecuminus est instructus & iam forte doctrina salutari supra  
 multos fideles. Timendum est huic mediat apud semetipsum de baptismo sancto  
 quo peccata dimittuntur; quid plus accepturus sum? Ecce ego melior sum illo  
 fideli. & illo fideli. Cogitans fideles aut coniugatos. aut forte idiotas. aut haben-  
 tes & possidentes res suas quas ipse distribuit iam pauperibus. & meliorem se arbi-  
 trari esse quam ille qui iam baptizatus est. dedignetur uenire ad baptismum dicens.  
 Hoc sum accepturus quod habet ille & ille. & proponat sibi eos quos contemnit.  
 & quasi sordet illi hoc accipere quod acceperunt inferiores. Quia iam uidetur  
 ipse sibi melior. & tamen omnia peccata supra illum sunt & nisi uenerit ad salutem  
 baptismum ubi peccata soluantur. cum omni excellentia sua non potest intrare in  
 regnum caelorum. Sed ut illam excellentiam inuitaret dominus ad baptismum suum.  
 ut peccata illi dimitterentur. Uenit ipse ad baptismum serui sui. & cum ipse non  
 haberet quod ei dimitteretur. nec quid in illo lauaretur. suscepit a seruo baptismum.  
 & tamquam adloquutus est filium superbientem. & extollentem se ac dedignantem  
 forte accipere cum idiotis unde ei salus possit uenire. & quasi dicens; quantum  
 te extendis. quantum extollis. quanta est excellentia tua. quanta gratia tua.  
 maior potest esse quam mea. Si ego ueni ad seruum. tu dedignaris uenire ad dominum.

Si ego suscepit baptismum serui. tu dedignaris ad dno baptizari. nam ut noue-  
 ritas fr̄s mei. quia non ex necessitate alicuius uinculi peccati dñs ueniebat ad ipsū  
 iohannem. sicut dicunt alii euangelistae. cum ad illum uenit & baptizandus dñs.  
 ait ipse iohannes. Tu ad me uenis. & ego te debeo baptizari. & quid ei respondit.  
 sine modo. impleatur omnis iustitia; quid est impleatur omnis iustitia. mori  
 ueni pro hominibus. baptizari non habeo pro hominibus. quid est impleatur  
 omnis iustitia. impleatur omnis humilitas; quid ergo. non erat suscepturus  
 baptismum a bono seruo. qui passionem suscepit a seruis malis. Intendite  
 ergo baptizato dno; si propterea baptizauit iohannes. ut in eius baptismo dñs  
 ostenderet humilitatem. nemo alius baptizaretur baptismo iohannis. Et uult autē  
 baptizatus sunt baptismo iohannis. Baptizatus est dñs baptismo iohannis. & cessa-  
 uit baptismum iohannis. Inde iam missus est in carcerem iohannes. Deinceps nemo  
 baptizatus inuenitur illo baptismo. Si ergo propterea uenit iohannes bap-  
 tizans ut dñi nobis humilitas demonstraretur. ut quia ille suscepit a seruo. nos non  
 dedignaremur suscipere ad dno. si dñm solum iohannes baptizaret. dis solum dñm  
iohannes baptizaret non de essent qui putarent sanctius fuisse baptismum  
 iohannis quam xp̄i. Quasi baptismum iohannis solus xp̄s meruisset baptizari.  
 baptismum autem xp̄i genus humanum. Intendat caritas uestra. Baptismo xp̄i  
 baptizati sumus non tantum nos. sed & uniuersus orbis terrarum. & baptizatur  
 usq. in finem. quis nostrum potest ex aliqua parte comparari xp̄o. cuius se  
 iohannes dixit indignum soluere corrigiam calciamenti. Si ergo ille xp̄s  
 tantae excellentiae homo dñs. solus baptizaretur baptismo iohannis. quid dicturi  
 erant homines. quale baptismum habuit iohannes. magnum baptismum habuit.  
 ineffabile sacramentum. uide quia solus xp̄s meruit baptizari iohannis baptismo.  
 Atq. ita maior uideretur baptismus serui. quam baptismus dñi. Baptizati sunt &  
 alii baptismo iohannis. nemelior baptismus iohannis uideretur quam xp̄i. Baptiza-  
 tus autem & dñs. ut dno suscipiente baptismum serui. non dedignarentur alii  
 serui suscipere baptismum dñi. Ad hoc ergo missus erat iohannes. sed nouerat  
 xp̄m. annon nouerat. si non nouerat. quare dicebat quando uenit ad fluum  
 xp̄i. Ego te debeo baptizari. hoc est scio quis sis. Si ergo iam nouerat. certe tunc  
 cognouit quando uidit columbam descendentem; manifestum est quia columba  
 non descendit super dñm. nisi posteaquam ascendit ab aqua baptismi dñi. Baptiza-  
 tus <sup>enī</sup> ascendit ab aqua. Apertis sunt caeli & uidit super eum columbam. Si ergo post  
 baptismum descendit columba. ante quam baptizaretur dñs. dixit illi iohannes.  
 Tu ad me uenis. ego te debeo baptizari. ante illum nouerat quid dicit. tu  
 ad me uenis. ego te debeo baptizari; quomodo ergo dixit. & ego nesciebam  
 eum. sed quia me misit baptizare in aqua. ipse mihi dixit. Super quem uideris

spm̄ descendentem sicut columbam & manentem super eum. ipse est qui  
 baptizat in spū scō; Non parua quaestio est fr̄i mei. si uidistis quaestionem  
 non parum uidistis. super est ut ipsius solutionem dñs d& ; tamen illud dico &  
 si uidistis quaestionem. non est parum; Ecce positus est iohannes ante oculos  
 uestros. Stans ad fluum iohannes baptista; ecce uenit dñs adhuc baptizan  
 dus. nondum baptizatus; audi uocem iohannis; Tu ad me uenis. ego a te debeo  
 baptizari; Ecce iam cognoscit dñm. a quo uult baptizari. Baptizatus dñs ascen  
 dit ab aqua. aperti sunt caeli. descendit sp̄s. modo illum cognoscit iohannes;  
 si modo illum cognoscit. cui dixit antea. ego a te debeo baptizari. Si autem non  
 eum modo cognoscit. quia iam nouerat eum. quid est quod dixit. non nouerā  
 eum. sed qui me misit baptizare in aqua. ipse mihi dixit. Super quem uideris  
 spm̄ descendentem & manentem uelut columbam ipse est qui baptizat in spū  
 scō. fr̄i ista quaestio si hodie soluat. grauat uos non dubito. quia iam multa  
 dicta sunt. Sciatis autem talem esse istam quaestionem. ut haec sola perimat  
 partem donati. Ad hoc dixi caritati uestrae. ut intentos uos facerem. si similiter  
 ut soleo simul ut or&is pro nobis & pro uobis. ut & nobis dñs d& digna loqui.  
 & uos digna capere mereamini. Interim hodie dignamini differre. sed hoc  
 breuiter dico interim donec soluat. Interrogate pacifice sine rixa sine  
 contentione. sine altercationibus. sine inimicitis. & uobiscum quaerite & alios  
 interrogate; Dicit hanc quaestionem proposuit hodie ep̄s noster. aliquando  
 si dñs concesserit soluturus eam; sed siue soluat. siue non soluat. putate me  
 proposuisse quod me mou&. moueor enim multum; Dicit iohannes. ego  
 a te debeo baptizari. tamquam xp̄o cognito. Si enim nō nouerat eum. a quo  
 uolebat baptizari temere. Dicebat. ego a te debeo baptizari; nouerat ergo  
 eum; si nouerat eum. quid est ergo quod dicit. non noueram eum. sed qui  
 me misit baptizare in aqua. ipse mihi dixit. Super quem uideris spm̄ descen  
 dentem & manentem super eum sicut columbam ipse est qui baptizat in spū  
 scō; Quid dicitur sunt. quia non scimus quando uenerit columba. ne forte  
 ibi lateant; Leguntur alii euangelistae. qui planius illud dixerunt & inuenimus  
 apertissime tunc descendisse columbam cum dñs ab aqua ascendit. Super  
 baptizatum enim aperti sunt caeli & uidit spm̄ descendentem; si iam baptizātū  
 cognouit. uenienti ad baptismum quomodo dicit. ego a te debeo baptizari.  
 hanc uobiscum interim ruminare. hanc uobiscum conferre. hanc uobiscum  
 tractate; praest& dñs dñs noster. ut antequam a me audiat. alicui uestrum.  
 priori eam reuel&; Tamen fr̄i hoc sciatis. quia per istius quaestionis solu  
 tionem pars donati de baptisimi gratia ubi nebulas obtendunt inperi  
 tis & r&ia tendunt a uibus uolantibus. si frontem habeant. omnino non habebunt.